

B. h. II, 49.  
h. 7, 2.

X 1876048

EXERCITATIO  
*DE*

# IMPERATORE ROMANO GER- MANICO

Q V A M

Ex discursibus præcipue

*Viri Clarissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi*

**HERMANNI CONRINGII**

Philosoph. ac Med. D. hujusque in illustri  
Iulia Academia Professoris celeberrimi, Fauto-  
ris ac Præceptoris plurimum honoran-  
di desumtam

EODEM PRAESIDE

*Examini publico submittit*

**BOGISLAUS OTHO AB HOYMI**

Eq. Pomeranus.

*AD DIEM IIIX MAII.*

IN NOVO IVLEO MAIORI.

16  
HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI.

Anno cccccc xli.





DIVINA IUVANTE GRATIA  
DE  
IMPERATORE ROMANO  
GERMANICO  
THEISIS I.



Um alijs multis magistratibus geritur imperium Germanicum, tum unus summus illi præst, quem Cæsareum aut Regium appellare est moris. Possunt autem de illo multa dici ac varia: nos verò non nisi pauca nunc attingemus.

II. Atque initio quidem videbimus, quo jure, quave injuria illi competat nomen Cæsareum, & titulus Romanorum Imperatoris. Constat quippe illis nominibus appellatos olim qui Imperio Romano regia autoritate præfuerunt. Cæterum an idem nomen jis, qui Germaniæ socijsq; regnis præsunt, regibus conveniat, id verò haud perinde liquidum est.

III. Verum hanc quæstionem agitare fortassis haud licebit, nisi & illud agitur, superstite hodieque respubli-  
ca aliqua Romana: aut si non superstite, jurane ejus imperij  
una cum Republ. expiraverint, an verò maneant, & si ma-  
nent, penes quem ergo verè resideant.

IV. Et quidem superesse hodieque Romanum im-  
perium, ejusque nobilissimam portionem esse Germaniam  
& Italiam pleraque, vulgata adeò est sententia, ut eā de re

A 2

dubi-

dubitare, videatur merito absurdum & absolum. Quoniam tamen plane contra senserunt nostro seculo nonnulli ex eruditissimis, resque difficultate non caret, & tamen operæ pretium est, in re tam magni momenti à veritate non aberrare, non abs refuerit, totum hoc negotium accuratè agitare.

V. Principio autem sciendum est, quid olim florentibus Romanorum rebus ad Romanum Imperium pertinuerit, sive reapse, sive jure. Neque enim desunt nonnulli magni nominis veri, qui totum terrarum orbem Romanis olim paruisse, vel certè parere debuisse profiteantur. Vsq; adeò enim verum id esse, ut alios nunc taceam, credidit olim magnum illud jurisconsultorum lumen Bartolus, ut non dubitaverit adversam sententiam hærefoes postulare.

VI. Fundamentum autem hujus opinionis peti solet partim ex illis Lucæ Evangelistæ verbis; *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut totus orbis censeretur: ubi ὁκημένης voce ambitus Imperij Romani circumscribitur;* partim ex Corpore juris Iustinianeo, ubi persæpè Imperatori *orbis dominium tribuitur;* partim denique ex his, quæ apud alios scriptores legas: quale est Petronij illud

*Orbem jam totum vicitor Romanus habebat.*  
Et Dionysij Halicarnassei lib. i. cap. 3. Romanorum civitas imperat per cunctas terræ plagas, quæ quidem inaccessæ non sunt, sed habitantur ab hominibus.

VII. Verum enim vero totum terrarum orbem paruisse aliquando Romano populo, aut ejus Cæsaribus, id verò ita repugnat historicis monumentis, ut hodie in tanta literarum luce id afferere, vel indocti hominis fuerit, vel impudentis.

IX. Etenim, constat quidem ex historijs, latè patuisse terminos Romani Imperij, cum primis Imperatore Traja-

Trajano; certum verò est, ne Europam quidem integrā, multo minus Asiae & Africæ (nam de Americā ignota tunc prorsus terra ne verbulum quidem addam) universa, finibus illis tum fuisse comprehensa. Quod ex veterum monumentis, cum ab alijs, tum à Iusto Lipsio lib. I. *Admirandor.* sive de magnitudine Romana cap. 3. & Onuphrio Panuinio lib. 3. *commentar. de Repub. Romana;* præclare est expositum. Et quidem in primis notatu dignum hic est, Germaniam nostram, quæ trans Rhenum & Danubium Romanis erat, bellum quidem perpetuum cum Romanis per aliquot secula à Iulij Cæsarī usque temporibus gessisse, nunquam tamen in provinciam fuisse à Romanis redactam: sed ex adverso Germanos tandem hostibus suis Romanis pleraque, quæ sive in Europa sive in Africa tenuerunt, jure belli eripuisse. Quin imò ne quidem omnes Germani qui cis Rhenum vixerunt, adeoque portio Romani Imperij veteris olim sunt habiti, omni ex parte Romanis fuere subjecti, sed nonnulli cum iis tantum societatem coluerunt, fratres Romanorum ideò dicti. Quod de Batavis insulam Rheni habitantibus diserte testatur Tacitus *l. de morib. German.* & *4. Histor.* docte verò deducit Hugo Grotius *lib. de Antiq. Reipub. Batavica cap. 2.*

IX. Alias vero notissimum quoque est, quæ Romani Imperij finibus conclusa olim sunt, diverso plane titulo ad illud Imperium pertinuisse. Fuerunt enim Coloniæ, fuerunt urbes, aut populi fœderati, fuerunt socij, fuerunt amici, fuerunt vere subditi, & in provinciam redacti; quorum profecto conditio fuit diversissima, & si tandem per injuriam socij, fœderati, amici, subditi uno pene loco haberentur. Hoc verò discrimen in Italia imprimis olim fuisse observatum, cum ex veterum monumentis, vel leviter intuenti perspicuum esse potest, tum exactè tradi-

tur à Carolo Sigonio de antiquo Iure Italia. Observatum autem fuisse & in Gallijs, notius est, quam ut egeat probatio-  
ne. Alibi vero itidem id observatum fuisse, vel unus Plinius docuerit lib. 3. 4. 5. & 6. natural. historiae: ubi studiosè o-  
mnia isthæc discrimina recenset.

X. Nequaquam itaque veram esse Bartoli & aliorum assertionem, quasi Augusti ævo totus terrarum orbis in di-  
tione Romanorum fuerit, manifestum est. Nec vero illa adducta ex Evangelio, aut quæ in eam sententiam in libris  
juris Romani habentur, vel alibi leguntur, id quod Barto-  
lius vult, evincunt; subesse enim quandam ἀνέγερτιam ipsis  
sacris literis non infrequentem per se liquet, jamque tum à doctissimis est viris animadversum.

XI. Non tantum vero totus orbis paruit nunquam Romanis, sed ne quidem ad illos jus aliquod imperij in totum orbem, pertinuit. Neque enim vel jure divino arbitrio, vel jure Naturæ ac Gentium, vel denique jure civili, hujusmodi quid est constitutum. Sane de jure divino arbitrario hinc patet, quoniam tale jus divinum nullibi legitur in sacris voluminibus, nec traditione ad nos deve-  
nit, quo uno tamen modo arbitraria Dei instituta nobis innescunt. Tale item jus Naturæ aut gentium nemo ho-  
minum ex principijs naturâ notis hactenus probavit vel probare conatus est, nec probari videtur posse: non ali-  
unde tamen jus Naturæ solet probari. Iure porro civili urbis Romæ non potuisse Romanis jus aliquod competere in terrarum orbem vel puerò liquet. Qui enim totum terrarum orbem obliget, quod unus populus sua in urbe constituít?

XII. Ex his verò consequens est, quicquid populus Romanus olim possedit, aut imperio suo continuit, vel continere debuit, ad id non alios titulos aut alia jura po-  
tuisse

tuisse adhiberi, quam quibus vulgo jure acquiri aliquid aut possideri solet. Neque vero vel ipsi Romani alia olim jura allegarunt, quam vel derelicti occupationem vel jus belli, aut foederis, vel donationem ac similia. Divinum sane aliquod in omnes gentes jus nunquam praetextum ab his est: quale quid tamen videmus a Muhammede jactatum, vere autem pertinuit ad Hebreos, in ea quae commo-  
dato ab Aegyptijs acceperant, & terram Cananiticam.

XIII. Quod si vero illi usitati tituli acquirendi ali-  
quid aut possidendi apud Romanos valuerunt, manifestum quoque est, iisdem titulis potuisse Romanos occupata &  
possessa iterum amittere, adeoque si quae similibus titulis Romanis crepta, nunc ab alijs possidentur, ea non minus jure atque legitimo titulo possideri, atque olim a Romanis possessa sunt.

XIV. Esse autem Romanis jam ante aliquot secula primum ea, quae ad occidentale imperium, deinde etiam, quae ad Orientale pertinuerunt, a populis qui Romanis nunquam paruere, sed cum essent sui juris ab antiquis temporibus bellum cum iis gesserunt crepta, ex historijs notissimum est. Atque in Occidentali quidem parte post Theodosium, sub Honorio & Valentiniano III. pauloque post, pene quinquaginta annorum intervallo, a Germanicis populis, Africæ pars major, Hispania tota, nec non omnes Galliæ, Rhetiæ, Vindeliciae, Noricum, Pannonia, Britannia, ita sunt occupatae, ut post secutis temporibus Romanus populus in illis terris fuerit fere, nec visus nec auditus.

XV. Imò regiones illæ, ne quidem mussitantibus Romanis hodieque ab occupatoribus magna ex parte pos-  
sidentur. Namque ea quidem, quæ cis Rhenum sunt, ad-  
usque Pyrenæos montes Franci ac Burgundi / qui tamen  
& ipsi

& ipsi à Francis sunt subjugati) jam plus quam mille ducentos annos tenuerunt: Hispaniae etiam à Gothicis sanguinis reliquiis hodie regnantur. Britanniam à Romanis relictam Saxones primùm mox Norvegi & Dani in potestatem suam redegerunt. Vindeliciam & Noricum ad Alpes usque, nec non Rhetiam potissima ex parte, similiter jam plus quam mille centum annos quiete tenent Bavari & Alemanni seu Suevi. Pannoniam post varias gentes Germanicas Hunni suam fecerunt, quibus Hungari successere, ut tamen hodiè magna Pannonia pars à Germanicis populis Archiducatus Austriæ incolis colatur, Hunnis ante octingentos annos à Carolo M. inde pulsis.

XVI. Quid? quod ne ipsa quidem Italia in ditione populi Romani aut Cæsarum permanserit. Nam primum quidem ejecto omni Romanorum præsidio fixam in illa sedem locavit Odoacer Herulorum rex: quo devicto à Theodorico Ostrogothorum rege, tota Italia, ne ipsa quidem urbe Roma excepta, cessit in ditionem (non contradicentibus Cæsaribus qui Constantinopoli commorabantur) Ostrogothorum regum, qui hac ipsa de causa Italæ reges se appellabant. Quos, licet multo post Iustiniani Cæsaris auspicijs Belisarius & Narses potestate omni exuerint, mox tamen iterum pulso Romanorum præsidio, Langobardi, Germanica gens, sed quæ diu Pannoniam tenuerat, pene integrum Italiam sibi subjecit. Neque enim mansit quicquam Romanorum Imperatoribus Constantinopoli degentibus, præter ipsam urbem Romam, ejusque Pomoeria, Pentapolim item, nec non Exarchatum Ravennatensem, Venetiarum urbem & Calabriam. Quin & horum pleraque ultimi Langobardorum Reges, Aistulphus imprimis, occuparunt. Non enim quicquam in Italia tandem Langobardis non paruit, præter urbem Venetam

tam, & ultima Calabriæ. Nec tamen vel Venetæ tum amplius Romanorum Cæsaribus obtemperarunt, sed in libertatem se jam adseruerunt. Quomodo ipsa urbs Roma ultimis illis Langobardorum temporibus, Cæsar, qui Constantinopoli degebat, imperium detrectabat. Pipinus quidem Francorum Rex, Aistulpho devicto, expulit iterum Langobardos exarchatu Ravennatensi, nec non pentapoli, (Romano Pontifici terris illis attributis, quod persuasus esset, ad S. Petri illas Patrimonium pertinere,) sed reliqua Italiæ Langobardis iterum reddidit, ut justè ab illis possessa. Ejus quoq; filius, Carolus, cognomento magnus, Desiderio ultimo Langobardorum Rege pulso, non dubitavit anno D C C L X X I V . post natum Servatorem, omne quod in Italia haetenus Langobardi possederant, in suam ditionem redigere, Constantinopolitano Imperatori aut Romano Pontifici vel populo nihil præter pauca isthæc, Calabriam nempe, & quæ Pipinus Pater Romano Pontifici donaverat, relictis. Tantum autem abest, ut id à quoquam fuerit improbatum, ut contra & Romanus Pontifex hoc nomine Carolum laudibus in cælum penè extulerit, & Constantinopolitani Imperatores neutiquam contradixerint, Caroli interim se Francorum ac Langobardorum Regem appellante.

XVII. Hæc sanè facies fuit Provinciarum Romani Imperij occidentalis, quum Carolus ille Magnus anno D C C C . Romam religionis ergo profectus, insperato in æde sacra à Leone Pontifice & civibus Romanis festiva acclamatio salutatus est ROMANORVM IMPERATOR AVGVSTVS.

XIX. Ex his verò constat, eâ quidem tempestate Romano populo, aut ejus Pontifici, vel Cæsari nihil juris fuisse in Germaniam quidem, quæ Rheno & Danubio

cingitur, ut pote quæ Romanis paruit nunquam. Non minus verò evidens est propemodum tum quidem Romanis nihil amplius juris fuisse in Hispaniam, Galliam, Noricum, Vindeliciam, Rhetiam, imò ipsam Italiam, quantum certè ejus à Iustiniani ævo possederunt Langobardi. Nam ut nunc non disputem, jure an injuria provinciæ illæ à Germanicis populis fuerint occupatæ: imò ut verum sit nonnullas per injuriam occupatas (sicuti haud fortasse difficile fuerit ostensu, nonnullas jure Romanis ereptas esse) quin tamen postea procedente tempore usucatio iusta & præscriptio intercesset, negari temerè non potest. Nequè verò quod dicitur, quæ ab initio non valent, ex post facto convalescere non posse simpliciter verum' est; sed tum demum, si causa nova jus per se parere idonea non accesserit.

XIX. Provincias verò alias, quas modo diximus, jam isthac ætate pro derelicto habitas à populo Romano, adeoque à possessoribus jure possessas, ex historiis manifestum est. Namque jam supra diximus, per annos ducentos, trecentos, populum Romanum illas provincias neque verbis, neque factis repetiisse. Quin imò constat Romanos cum illis possessoribus, ne Longobardis quidem exceptis, plurimos contractus, tanquam cum legitimis eorum quæ possidebant dominis, iniisse. Atvero, si is, qui rei alicujus est dominus, sciens cum altero eam rem possidente, tanquam cum domino contrahat, jus suum remisisse meritò habetur, id quod non tam valet autoritate juris civilis Romani, quam ex ipso jure Naturæ venit.

XX. Sanè de Italia possit quis forte dubitare propter perpetua ferè Constantinopolitanorum Cæsarum cum Langobardis bella. Sed imprimis observatu dignum est, integrum Italianam jam ante concessu & dono Zennonis

Impe-



Imperatoris, teste Iornande *l. de rebus Gothi. c. 57.* Ostrogothis cessisse, nec Iustinianum bello suo contra Gothos aliam causam prætexuisse, quām Amalavventæ Reginæ indignam necem, cuius se vindicem profitebatur. Cum Langobardis postea bella multa quidem gesta, sed etiam multi contractus tanquam cum justis Italiæ dominis sunt initi, manente certamine solūm de finibus, non autem de integro regno, quemadmodum ex Pauli V Varnefridi *historia Langobardica* probatu est faillimum. Iam ante verò inculcatum etiam est totum Langobardorum regnum, devicto Desiderio rege, per triginta fermè annos ante Imperatorium titulum acceptum à Carolo M. non tantum non reclamantibus, verum etiam laudantibus Romanis fuisse possessum. Atqui verò id quod derelictum est, jure possideri ab eo, qui tanquam in vacuam venit possessionem, juris naturæ est. Accessit verò & usucaptionis & præscriptionis jus, quæ non minus naturalem vim habent, non autem jure tantum civili valent, ut præclarè contra Vasquium disputat Hugo Grotius *lib. 1. de jure belli ac pacis cap. 4.*

XXI. Hic tamen observandum venit quod jam supra innuimus, etsi Langobardi à Narsete invitati in Italiam penetraverint nunquam tamen omnes ejus partes sibi subjecisse, sed mansisse sat magnam Italiæ portionem in fide & obsequio Imperatorum Romanorum Constantiopolis degentium, qui cum per varios duces, tum verò cum primis per Exarchos Ravennæ consistentes superstites illas Imperij Romani reliquias gubernabant. Erat autem Exarchus si Iosepho Scaligero *l. 3. Canon. Isagogicor. p. 339.* creditus, *præfecti prætorio vicarius*, qui Ravennam cum aliquot urbis Imperij Romani nomine adversus Langobardos ruebatur. Inter autem eas reliquias fuit ipsa urbs Roma, quam per

ducem aliquem Constantinopoli missum Cæsares regebant. Non est nostrum hoc loco de finibus & superstitibus illis Romani Imperij in Italia provincijs agere. Fecit hoc ipsum cum magna curâ Erycius Puteanus singulari opere, quo Exarchatus historiam est complexus. Ex eo tamen usque tempore adeoque statim ab Iustiniani obitu & Langobardorum in Italiam adventu, pars Italæ regni Langobardici, pars antiquo imperij Romani cognomento fuit appellata. Atque Langobardici quidem quæ erant regni, non recuperatunt Cæsares Constantinopoli habitantes, reliquæ vero illæ Imperij, urbe Roma & Veneta aliisque pauculis exceptis, pervenerunt tandem cum ipsâ urbe Ravennâ in Langobardorum ditionem. Illum tamen Exarchum Aistulpho regi expressum precibus & impiè confidis Petri Apostoli nomine literis (quas recitat & laudare non dubitat Baronius *ad annum 755. tom. 9. Annal.*) à Stephano Papacircumventus Pipinus S. Petro id est Romanus Papæ, ut ut contra niteretur Cæsaris legatus donavit, Quam rem latè narrat post Anastasium, Annales Francicos, aliosque scriptores, Boronius *ad ann. 735.*

XXII. Notatu autem digna sunt verba Baronij *l.c.* quando scribit Stephanum Papam legatos misisse, primum ad Constantiū Imperatorem (is est quem Copronymum nuncupant) ut adversus Langobardos ad defensionem eorum quæ supererant Romani Imperij, in Italiā exercitum mitteret. Item: cum nulla spes esset, ut Constantinus Imperator jura imperij, quæ in Italia residua erant à Langobardis invasa defendereret. Subjicit vero Baronius verba Anastasij quæ docent Stephanum nihil aliud petuisse restitui, quam vicina quædam castra & Exarchatum Ravennæ & Emiliæ oppida à Langobardis occupata. Nec vero aliud reddisi petit Stephanus impiis iis & ineptis literis quas ad Pipinum misit

misit ann. 755 & ex Vaticana bibliotheca primus edidit Baronius. Sed nec aliud quippiam per Pipinum Aistolpho Langobardo est creptum. Disertè enim Annales Francici. Pipinus redditam sibi Ravennam & Pentapolim & omnem exaratum ad Ravennam pertinentem ad S. Petrum tradidit. Anastasius Bibliothecarius idem proflus narrat in vita Stephani, simulque numerat urbes omnes nominatim donacione hac comprehensas, plura quidem narrat donata Leo Ostiensis Histor. Cassinensis l. 3. c. 7. quem sequitur Baronius, sed quis homini recensiori contra omnes ejus ævi scriptores credat? Restituit autem hæc & Carolos Magnus postquam devicto Desiderio Langobardorum rege, Langobardorum regnum subjugasset: quinimo & addidit nonnulla, quæ recitat Anastasius in vita Hadriani, ex uno vero hoc recenset Baronius ad annum 774. Vnde obiter est colligere, novæ illius donationis Caroli Magni, ut nec illius Pipinianæ ullum hodie monumentum in scrinijs Romanis reperiri, quinimo ne testimonium quidem ejus aliud superesse præter illud unum Anastasij, & quidem aulæ Romanæ mancipij. Quæ de re nunclatius differere non licet.

XXIII. Quicquid vero hujus sit, id certum est neque Carolum Magnum Langobardorum regno destructo, potiorem istam Italæ partem, vel populo Romano vel ejus Pontifici vel Cæsari Constantinopolitano concessisse, neque vel populum illum vel Pontificem vel Cæsarem postulasse eam sibi restitui, sed in Francorum ditionem eam omnem terram pervenisse. Certè ejus postulati nulla repertur memoria, multominus hujusmodi alicujus concessions. Contra testantur historiæ Carolum Magnum statim à devicto Desiderio regnum Langobardorum omne quasi jure belli occupatum administrasse. Hinc Annales.

Francor. anno 774. Rex Carolus subacta & pro tempore ordinata Italia in Franciam revertitur. Poëtester anonymous antiquus lib. I. Annal.

Dedictum Francis haec urbs clarissima (Papia scil.) cunctis Exemplo fuerat reliquis. Nam proutinus omnes Tradiderunt Carolo sese concorditer urbes Ejusdem regni: quod jam sibi jure subactum Disposuit, quantum potuit pro tempore tali.

Iidem Annales ut & ille Poëtester memorant anno 776. Rotgaudum Foro julienibus Ducem à Carolo datum defecisse; sed illo devicto provinciam istam Francorum comitibus traditam. Anno item 779. Ducem Spoletanum in ducatu suo confirmatum. Iidem memorant ann. 71. Pipinum filium Caroli Regem Langobardiae esse constitutum. Verba eorundem memoratu digna sunt anno 786. Rex statuit Romam proficisci & patrem Italiae in qua Beneventum situm est aggredi conveniens esse arbitratus, in illius regni residuum portionem, cuius caput capio Desiderio rege, majoremque partem in Longobardia jam subacta tenebat. Testantur vero ijdem etiam Beneventanum Ducatum Carolo tunc cessisse & quidem Adriani Pontificis consilio. Mitto alia testimonia: ne videar soli lucem foeneraturus. Id non possum non adducere, Carolum statim à capto Desiderio se ipsum regem Francorum & Langobardorum appellasse. Recitat ejus epistolam ad Albinum anno 778. item privilegium concessum monasterio Parisiensi S. Vincentij anno 773. hoc titulo ornatum, Baronius. Ipse Adrianus Papa hoc titulo Carolum laudat longa illa epistola ad Constantimum & Irenen perscripta, quam exactis Concilij Nicæni secundi recitat idem Baronius ad annum 785. Ex quibus perspicuum est totum Langobardorum regnum tenuisse Carolum & quidem nullius beneficio sed suo gladio acquisitum.

tum. Neque in illud vel populum Romanum vel Pontificem, vel denique Cæsarem Constantinopolitanum quidquam amplius sibi juris arrogasse. Et postremum quidem eo confirmatur, quod (si credimus Baronio) Irene Imperatrix ruperit anno 782. Sponsalia inter Constantimum & filiam Caroli contracta, quod Carolus Ducatum Beneventanum invasisset, quem in suum patrocinium Orientales Imperatores suscepserant. De toto sc. Langobardico regno mota lis nulla fuit.

XXIV. Hæc verò quum ita se habeant, manifestum est id quod supra etiam diximus, eo tempore quo Carolus Imperatoris titulum accepit (contigit illud autem anno 800. i. p. feriis Natalitiis) pleraque Occidentalis Imperij veteris fuisse jam dudum à Carolo possessa. & quidem nullam amplius controversiam de jure possessionis Romanis moventibus. Constat etiam tum temporis, neque in Hispania, neque in Gallijs, neque in Germania neque in Pannonia quidquam Romanæ amplius fuisse ditiosis; imò ne in Italia quidem quid fuisse reliquum, quod sibi arrogarent Romani, præter urbem ipsam Romam, exarchatum Ravennensem, & siquæ alia oppida aut Pipinus aut Carolus Langobardis crepta Romano Pontifici donaverant.

XXV. Non tantum verò nihil penè possessum tum fuit Romanis in toto occidente, sed & jus omne deperdita recuperandi longo tempore jam exspiraverat. Bene scilicet apud Isocratem Archidemus Messenam repetentibus Thebanis dixit. *Possessiones sive privatas sive publicas prescriptione longi temporis firmatas, in patrimonio & dominio habendas, omnibus est persuasum.* Et verò hoc ipso juxta alia Iepthes injuriæ convincit Ammonitarum regis vendicantis sibi terras inter Arnonem & Iabocum ad Iordanum sitas.

sitas conatum: ceu legere est cap. xi. Iudic. commare. 26.

XXVI. Si autem neque provinciæ Occidentalis Imperij veteris amplius tūm in ditione fuerunt Romani populi, imò si nec jus aliquod in illas provincias populus amplius habuit, manifestum est per Imperatorum titulum Carolo Magno neque possessionem neque jus aliquod in provincias illas aut esse concussum aut potuisse concedi. Igitur aut inani tum titulo est affectus Carolus, aut si quid accepit, accepit illa quæ in Italia extra Langobardicum regnum erant, cum juribus occupandi ea quæ Constantinopolitanus Imperator possidebat. Cœterum cum quæ Constantinopolitani possiderunt jure possederint, in illa certè nihil juris Carolus potuit nancisci. Sed nec in ea Carolus quidquam sibi sumpsit, coque laboravit in fraternitatem & amicitiam assumi Cæsarum Constantinopolitanorum. Eam verò impetravit primum quidem à Nicephoro anno 820. testibus Annalib. Francic. & Adone, iterum ab eodem anno 810. redditis Venetiis, quod idem testantur Annales, tertium à Michaële Nicephori successore anno 811. & ultimo à Leone anno 813. iisdem testibus. Non arbitror extare hodie foederum & pactorum illorum literas. Nam quod Sagonius l. 4. de regno Italæ scribit in primo illo foedere nominarim expressum ut Veneti inter virumq. imperium positi, liberi atq. immunes & ab utroq. securè viverent: id nescio an fide nitatur antiquorum ejus seculi monumentorum. Certè annales ille memorant Venetias à Pipino captas, redditas Nicephoro. Id certius: ex eo foedere Calabriam & maritimas civitates Liburniæ, Istriæ & Dalmatiæ, mansisse Orientali imperio. Testatur enim Eginhartus, Carolum totam Italiam tenuisse, ab Augustæ pretoria usque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneventanorum constat esse confinia. Histriam quoq. Liburniam & Dal-

& Dalmatiam exceptis maritimis civitatibus, quæ ob amicitiam  
& junctum cum eo fœdus Constantinopolitanum Imperatorem  
habere permisit. Firmum autem amicitiae fœdus inter u-  
trumq; Imperatorem tandem coiisse testatur idem Egin-  
hartus. Imperatores etiam Constantinopolitani, inquiens, Nice-  
phorus, Michaël & Leo ultiro amicitiam & societatem ejus expe-  
tentes complures ad eum misere legatos, cum quibus tamen propter  
susceptum à se imperatoris nomen, & ob hoc eis, quasi qui impe-  
rium eis eripere vellet, valde suspectum fœdus firmissimum sta-  
tuit, ut nulla inter partes cujuslibet scandali remaneret occasio.  
Erat enim semper Romanis & Græcis Francorum suspecta potentia.  
Quo facit illud quod in Annalibus habetur legatos Mi-  
chaëlis Carolum dixisse imperatorem & βασιλέα. Ne in Ita-  
liam quidem omnem ergo ob titulum Imperatoris jus fuit  
Carolo, tantum abest inde illi collatum jus in reliqua et-  
iam Orientalis Imperij.

XXVII. Cæterum si ne illa quidem Italiæ hactenus  
Imperatoribus possessa omnia accepit Carolus, aut titu-  
lum solum impetravit, aut verò potestatem aliquam in eas  
terras quæ extra Langobardorum regnum erant in Italiâ,  
hactenus verò fuerant quasi in Patrimonio Pontificis.  
Posterius sanè est verùm. Erat enim jam ante quidem Ca-  
rolus Patricius Romanus, adeoque jam tum forte eo no-  
mine habebat aliquid in ipsam urbem Romam juris, ast per  
Imperatoriam dignitatem longè plus consecutus est. Nam-  
que fuit quidem Patricij nomen non nisi dignitatis titulus  
à Constantino Magno institutus teste Zosimo l. 2. qua de re  
plura l. 12. Codic. Iustinian. tit. 3. l. 3. In Carolo tamen vide-  
tur hoc nomine ipsa Exarchalis potestas significata. Nam  
& vivo patre audiit quidem Patricius ut videre est in lite-  
ris Stephani Papæ apud Baronium ad annum 775. Ipse ta-  
men annos sui patriciatus solet numerare ab eo quo de-

C

vicit

vicit Desiderium, non autem 781. quod scribit Otto Fri-  
sigensis l.s.c. 28. Et verò eo anno Romæ exceptus est riti-  
bus Exarchorum aut Patriciorum Romanorum ut disertè  
scribit Anastasius in vitâ Hadriani. Ut verò non Patricij  
jure, revera tamen jam ante impetratam Imperatoriam  
dignitatem Carolo in ipsam urbem Romam multum fuis-  
se potestatis, vel ex ijs liquet quæ habentur in Annalibus  
Francicis ad annum 796. Romæ Adriano defuncto Leo Pontifi-  
catum suscepit: & mox per legatos suos claves confessionis S. Pe-  
tri, ac vexillum Romanae urbis cum aliis muneribus regni misit,  
rogavitq; ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui  
populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem firmaret.  
Missus est ad hoc Engelbertus. Recitat priora illa de missis  
clavibus & vexillo Baronius quoque, sed stomachabun-  
dus in novatores, qui inde ausi sunt colligere aliquam  
Caroli in urbem potestatem. Ipse autem veterator illa  
de infidem & subjectionem suscipiendis Romanis callidè  
omittit, nihil aliud addens, quam missum Engelbertum  
ad donaria & Hunnici belli manubias offerendas. Constat  
verò & Carolum nondum Imperatorem causam Leonis  
Papæ & conjuratorem agitasse anno 800. teste Anastasio &  
auctore Annalium.

XXIX. Quicquid vero sit de potestate quam patri-  
cius habuit Carolus, haud difficile est probatu per Impera-  
torium titulum illi collatum jus omne in urbem, Pontifi-  
cem, Exarchatum Ravennæ, & alia oppida quædam extra  
Langobardici regni fines posita, quæ fuerant Cæsarum  
usque ad solemnem illam rebellionem quâ Gregorio II.  
Papâ superstites Imperij Romani reliquiæ à Leone Isauro  
& sequutis Constantinopolitanis Cæsaribus defecerunt.  
Testatur id de urbe Roma ipse Bellarminus l.i.de Translat.  
pimer. Rom. c. 4. Liquet id ex adoratione qua more anti-  
quorum

quorum principum recens coronatus Augustus à Leone Pontifice est adoratus. Annal. Franc. 801. Liquet ex sententiâ latâ in eos qui Leonem Papam male mulctaverant Idem l.c. Liquet ex subsequente ordinatione Romanae urbis & Pontificis. Idem l.c. Referendum eodem quod apud Eginhardtum in Testamento Carolino, Metropolitanas inter urbes regni ejus primo loco numerentur Roma, Ravenna. Hæc potestas Cæsarum mansit per plurima secula, donec tandem post fatalem regiæ majestatis casum in Henrico IV. per Gregorium VII. cœpit novus ille papalis Dominatus, omnibus hactenus seculis inauditus. Ex eo verò tempore prisca illa & vera Cæsarea potestas, in urbem, Pontificem, & oppida, quæ ratione proventuum quorundam in Patrimonio Petri, aut rectius Papæ, esse dicitur, tantum non est intermortua.

XXIX. Quin itaque Carolus hanc solum potestatem titulo imperatoris sit consequutus; & quin hæc paucæ tantum magnifico illo Augusti & Imperatoris Cæsarisque nomine tum quidem venerint, neque aliud tum pertinuerit ad Imperium Romanum occidentale nihil sauè est dubitandum. Videndum an sequentibus temporibus revera plus accesserit Imperio illi Romano præter ista paucæ Italiæ, & quidem an populo Romano ejusque Cæsaribus occidentalibus aliquid aut de novo fuerit partum, quod olim non habuerunt, aut eorum quæ dudum deperdita diximus recuperatum. Cæterum si quid horum factum aut vi occupatum oportuit, aut verò provinciæ quædam ultro sese Romanam in ditionem dederunt. Sanè nec in Hispania, nec in Gallia, illa quæ ad Rhodanum usque à Pyrenæis montibus tendit, nec in Pannonia, nec in Dacia, nec in Britannia tale quidquam contigit. Neque enim Hungaros, neque Francogallos, neque Hispanos & Gothos

neque Anglos ac Scotos, vel ultrò vel vi coactos se & sua  
Romano Imperio post Caroli Magni ætatem dedidisse,  
ullibi legere est. Multo minus vero id ipsum est factum à  
Septentrionalibus populis Danis, Svecis, Moschis, Polonis,  
Lituanis alijsque. Hinc verò sole est clarius, omnes has  
terras non tantum non pertinere hodie ad Imperium Ro-  
manum, sed ne umbram quidem juris Romano Imperio  
in eas esse.

XXX. Fortassis tamen aliter se res habet de Italia  
Langobardica & Germanicâ. Non sunt quidem illæ terræ  
post Caroli ætatem à Romano populo victæ, adeoque jure  
belli nunc non possidentur: fortè tamen sponte suâ sese il-  
lis reliquiis antiquis sive subjecerunt sive sociarunt in u-  
num reipublicæ corpus. Neq; vero inanis fortè illa suspi-  
cio est. Hodie enim receptum est, illas terras omnes unius  
Imperi Romani nomine nuncupare: quin obtinuit illud  
ipsum jam plus quam quingentos annos. Summus quo-  
que magistratus populorum illorum per multa secula, non  
alio nomine quam Imperatoris Romani audivit: quod e-  
nim nunc adiicitur Germaniæ regis titulus id nuperum est  
inventum, & vix ducentis annis auditum.

XXXI. Verum enim vero, si quid tale unquam con-  
tigit, id aut ab ipso est Carolo Magno factum aut ab ejus  
successoribus. Carolum autem Magnum id egisse falsissi-  
mum est. Certè non eos tempore id ille fecit quum Impe-  
ratorium titulum accepit. Non enim tale quid memo-  
rant annales & monumenta ejus temporis, non tacitura  
certè rem tam magni momenti. Nec verò potuit id fieri.  
Neque enim licuit Carolo disponere quidquam de rebus  
regni Francici, in consultis ordinibus, quod alibi ostendit-  
tur. Tum autem temporis profectò non consuluerat Caro-  
lus ordines Francicos. Inopinato enim oblatus illi titulus  
est

est Cæsareus. Testatur enim Eginhartus dicere, solitum  
Carolum. Se eo die quamvis præcipue solenniter esset ecclæ-  
siam non intratum fuisse, si Pontificis consilium præscire po-  
tuisset. Sed neque postea hujusmodi quid ab eo factum  
memorant ullæ historiæ veteres. Contra verò in diploma-  
tibus ejus & literis cernere est distinctos titulos Imperato-  
ris, & regni Francici ac Langobardici. Privilegium Osna-  
brugensis Episcopatus apud Crancium. 1. Metropol. c. 2.  
Ita incipit. *Carolus Imperator Augustus Romanum gubernans*  
*Imperium, Dominus & rex Francorum & Langobardorum, Frisi-*  
*rum dominator & Saxonum.* Datum autem illud est anno 805.  
Testamento quoque Carolino quod Pythæus edidit & an-  
nalibus suis ad annum 806. inferuit Baronius, præfigitur: *Im-*  
*perator Cæsar Carolus Rex Francorum &c. Romani tutor Imperij.*  
In alterisquoque ejusdem Testamento quo de mobilibus  
bonis disponitur apud Eginhartum, seorsim numerantur  
anni regni Franciæ, regni Italiae & Imperij. Carolos itaque  
Italiam & Germaniam ab Imperio nunquam non distinxit.

XXXII. Sed & Ludovicus Pius Germaniam non  
minus atque Galliam, adeoque omnes certè regiones  
transalpinas ab Imperij Romani reverentia voluit esse libe-  
ram. Diviso enim inter tres filios regno suo, omnes pari  
voluit auctoritate esse, nequaquā autē aliquā in re Lotha-  
rio, et si ille Cæsareo honore esset insigniendus inferior. De  
eâ divisione notatu digna sunt verba Trithemij in Annali-  
bus Francicis. Partitio talis est: *Regnum Francorum Germaniae*  
*perpetuo per se habeat proprium regem nulli penitus mortalium,*  
*ne Romano quidem Imperio subjectum, sed pristina Francorum*  
*consuetudine liberrimum. Regnum quoq; Francorum, Gallorum*  
*à nostro divisum, simili modo regem uti constitutio sonat proprium*  
*habet liberum, qui non minus quam Rex Germanie liber sit &*  
*nulli omnino subjectus. Manifestum enim est quod Franci ab ori-*

gine semper fuerit liberrimi, & neq; Romanis, neq; alteri alicui certe unquam servierint, aut extiterint subjecti. Quin potius ipsi destruxerunt Romanorum Imperium sibi fecere subjectum. Et propterea reges ambo in divisione regni pristinam libertatem Francorum ubiq; alter alteri illasam servare statuerunt. Porro nec Italian Langobardicam alius ille conditionis fecit. Etsi enim illam unà cum imperiali dignitate voluerit esse penes unum Lotharium, per accidentem tamen ea tantum conjunxit, non autem quasi dederit Langobardicum regnum Romano Imperio. Certè id factum nullibi legere est. Bene proinde Hugo Grotius l. 2. de jure belli ac pacis. c. 9. num. 11. Carolus Magnus ejusq; successores jus Imperij quod habebant in Francos ut & in Langobardos à jure Imperij in Romanos, ut novâ ex causâ quæsito, sollicitè distinxerint.

XXXIII. Et vero sollicite hæc observata fuerunt diu post Ludovicum. Quum enim Lotharius filius ejus datu maximus propter primogenituræ & Cæsareæ dignitatis honorem sibi jus aliquod in fratres arrogaret, orto inde bello victoq; Lothario, libertatem suam fratres egregie tutati sunt. Eâ de re in medio sunt verba Hincmari Archiepiscopi Rhemensis viri ea ætate summæ auctoritatis epist. 1. c. 4. ad Ludovicum Balbum. Qui cum Lothario erant, immiserunt illum in hoc, ut fratres suos exheredaret, & regni primores, qui cum illis erant annullaret, quoniam ipso primogenitus & nomine Imperatoris erat: illi autem quierant cum Carolo & Ludovico dicebant, quod seniores illorum (i. e. domini sui Carolus & Ludovicus) Lotharij frares erant & sacramento regnum inter illos divisum fuerat, & illi nec genere nec potestate inferiores erant, & ideo non se contra illos concederent. Latius omnia ista narrat Nithardus lib. 4. ubi inter alia post fatalem illam in tres fratres pugnam scribit missos à Lothario Legatos ad Carolum & Ludovicum, qui nomine Lotharij dicerent

cerent. Si vellet illi aliquid illi supra tertiam partem regni propter nomen Imperatoris quod illi pater illorum concesserat, & propter dignitatem Imperij, quam avus regno Francorum adjecerat, facerent, sine aliter tertiam tantummodo partem totius sibi concederent, regeretque quisque illorum portionem regni sui prout melius posset, frueretur alterius alterius subsidio & bencvolentia. Et vero posterius placuit. Itaque Ludovico cessit Germania pleno jure & nulla in re dependens ab Imperio Romano gubernanda, non minus atque Gallia Carolo. Non latuerunt hæc Baronium: Itaque ad annum 848. Trithemium his verbis accusat: errat dum ait jussu Lotharij convenisse (Germaniae Episcopos) cum id factum per Ludovicum regem esse in regno ipsius non sit dubium, nam nullam Lotharium facultatem habuisse disponendi aliquid in regno Germaniae, spectante ad Ludovicum certum est.

XXXIV. Mansisse eandem libertatem Germanici regni superstite Carolina Regum familia, certum est. Plæriique enim qui illi præfuerunt cum Italia aut cum Imperio nihil habuerunt commercij. Divisio enim post obitum Ludovici Germanici regno, Carolus & Ludovicus & Carolmannus singuli suam regni partem propriâ auctoritate tenuerunt, ut constat ex *historia Landgravior. Thuring. c. o.* Arnolphus quoque diu Germaniam rexit antea quam Imperoriam dignitatem consequeretur. Post hunc verò neque Ludovicus neq; Conradus vel Italiam vel Imperium habuit. Quo satis constat, ea certè tempestate Germaniam non fuisse partem Imperij, nec administratam fuisse auctoritate Cæsareâ, sed proprios sibi reges habuisse, & liberam fuisse distinctamq; & sui juris rempublicam.

XXXV. Italiæ quidem regnum qui tenuere, ijdem fere & imperatores fuerunt. Imò ea occasione post obitum

tum Caroli Crassi in Italia Pontifices deliberarunt de eligendo imposterum aliquo Italiæ rege cum Imperatorio titulo. Quod testatur Carolus Siganus *l.s. de regno Italiae.* Fuere tamen & reges Italiæ sine titulo imperatorio. Nec interea temporis constat factum aliquod decretum consensu Carolinæ familie, (penes quem jus erat hæreditarium in regnum Langobardicum) de subiicendo illo regno Imperij Romani auctoritati & legibus. Itaq; & Langobardicum regnum eo tempore mansit liberum ab Imperij Romani potestate.

XXXVI. Extincta porro Carolina familia Henricus Auceps ejusque filius Otto Magnus ab anno 919. ad 962. Germaniæ regnum cum regno Lotharij tenuerunt. nulla Cæsarea dignitate ornati, nullo etiam modo Imperium aliquod Romanum reverentes. Neque enim verum est, quod nonnulli evincere pertendunt, Henricum Aucupem fuisse Cæarem. Quin alibi ostenditur, illum ne quidem jura habuisse ad occupandam Italiam aut Imperij dignitatem postulandam. Sanè nihil Italiæ illum possedit esse certum. Etiam illa ergo ætate Germania non fuit habita Imperij Romani portio. Eodem vero tempore nunc Berengarius Dux Foro Juliensis, mox Lambertus, iterū Ludo-vicus Burgundus, modo Rudolphus Burgundus, modo Hugo Arelatensis, ejusque filius Lotharius nec non deniq; Berengarius Eporegiæ Marchio ab italiæ optimatibus inconsulto vel populo vel Pontifice Romano immò his nihil contra nitentibus Italiæ reges sunt creati Papiæ, regni Langobardici Metropolitana urbe. Et vero horum vix unus alterque Cæsareum titulum accepit. Quo iterum constat, etiam tum temporis & Langobardicum regnum fuisse liberam rem publicam reliquias verò illas imperij Romani ab hoc regno se junctas fuisse, & plerumque sub nullo Imperatore.

XXXVII.



**XXXVII.** Otto quoque magnus, non Germaniam tantum sed & Italicum illud Langobardorum regnum diu habuit in potestate sua, ante quam Imperator Romanus audiret. Namque anno 951. invitatus ab Adelheide vi-duâ Lotharij regis quam & mox in matrimonium duxit, fudit omnique potestate, exuit Beringarium regem. Italiæ, ejusque filium Adelbertum. V Vitichindus Corbeiensis l.3. scribit, Ottone cum Adelheide Papiam, quæ est se-des regia obtinuisse. Sequenti anno 952. Berengarius & Adelbertus in gratiam recepti feudi jure ab Ottone regnum Langobardicum recuperarunt. Illam rem ita narrat continuator Reginonis: Berengarius cum filio Adelberto sese subiiciens Ottoni, ab eo ut subditus recipis regendam Italianam. Iisdem verbis utitur ipse Baronius tom. 10. Annal. ad annum 952. V Vitikindus ita loquitur : Cum conventus fieret Berengarius manus filij sui Adelberti suis manibus implicans re-novata fide, coram omni exercitu, famulari regis se cum filio suo subjugavit : & ita dimissus in Italianam remeavit cum gratia & pace.

**XXXIX.** Itaque jam tum feudi jure ab Ottone Langobardicum regnum obtinuit Berengarius. Et tamen anno demum 961. Otto à multis Langobardicis regni proceribus & Iohanne Papa contra Berengarij tyrannis-dem invitatus, expulso Berengario & liberato Papa, pri-mò quidem regnum Italiæ occupavit iterum, deinde anno sequente Imperator est creatus. Narrat Baronius ad annum 961. ex Historia Ducum Beneventinorum antiqua, proceres Italiæ, appropinquante jam Ottone, Adelberto filio Berengarij regis dixisse. *Vellemus Domine, ut Papiam cum paucis pergas, & tuo genitori dicas, quatenus Langobardo-rum regnum sub vestra ditione committat, quia nos minimè sub illius potestate amplius jam durabimus. Si vobis committit re-*

D

gnūm,



gnum, nos totis viribus pugnabimus, si autem non Italiæ regnum  
extero regi committimus. Id ipsum autē cum Adelbertus non  
potuisset impetrare, proceres omnes Berengarium pariter  
& Adelbertum reliquisse. Addit autem ille scriptor: Itaque  
Otto Rex sine impedimento in Italiam introivit, atq; Italiæ regnum  
obtinuit. Luitprandus, qui itidem eo tempore vixit, in nar-  
ratione legationis suæ Constantinopolitanæ, quam à Ca-  
nicio editam inseruit Baronius decimo Annalium tomo  
ad annum 968. ita rem omnem narrat Nicephoro Imperato-  
ri: Palam est, quod Berengarius & Adelbertus sui milites (i.e. Ot-  
tonis Vasalli) effecti regnum Italicum sceptro aureo ex ejus ma-  
nu suscepserunt, & presentibus servis suis qui nunc usque super-  
sunt, jurejurando fidem promiserunt. Et quia hanc perfidè vio-  
larunt justè illos quasi desertores sibique rebelles, regno privavit.  
Tenuit ergo etiam Otto Langobardicum regnum ante  
quam Cæsarea jura esset consequutus, adeoque & regnum  
illud Italiæ cum Imperij juribus nihil habuit commercij.  
Et si verò sequente anno Otto Imperator sit creatus, etiam  
tum tamen satis curatè distinxit Italicum illud regnum à  
reliquis Imperij Romani quas Papa possidebat. Recitat  
Gratianus cap.33. dist. 63. Iuramentum Ottonis Papæ Ioanni  
præstitum, quod & Baronius habet anno 960. de cuius fi-  
de non est meum nunc disputare; ibi disertè vero legitur:  
cuiuscunque regnum Italicum commisero, jurare faciam illum ut ad-  
jutor tui sit. Habet idem Baronius anno 962. diploma, quo  
Otto creditur confirmasse Romanæ Ecclesiæ bona, ubi in-  
ter alia legitur: insuper offerimus tibi de proprio nostro regno  
civitates & oppida cum piscariis suis Reatem, Amiternum &c.  
Vnde patet porro, Ottonem Langobardicum regnum sibi  
arrogasse jure proprietario.

X X X I X. In sequutis temporibus æterno quidem  
foedere juncta est Cæsarea dignitas non minus atque Ita-  
lici.

lici regni possessio cum Germania, (quod quibus auctori-  
bus, quave ratione, aut qua de causa contigerit, non est in-  
stituti nostri nunc exponere.) cœpit etiam ex eo communis  
appellatio illa Imperij Romani, quæ res multos in errorem  
perduxit; nullum tamen monumentum potest produci,  
nullæ tabulæ exstant, quibus possit probari aut coijsse Ger-  
manicum & Italicum regnum cum illis Imperij Romanis re-  
liquijs in unam prorsus Rempublicam, aut illa in Imperij  
istius ditionem concessisse. Alterutrum autem affirmare  
sine certis documentis non licet aut fas est.

XL. Ac prius quidem vel illo uno potest abunde  
refelli quod & Germania & Langobardicum regnum co-  
mitia sua de rebus maximis ad rempubl. pertinentibus o-  
mni tempore instituerit, egerit quoque res maximas non  
imperato consensu vel Papæ vel aliorum Imperij istius  
civium. Ingessit se quidem, fateor, Papa Romanus post  
tempora Henrici IV. plærisque Imperij negotijs, quin &  
conatus est pleraque ad arbitrium suum trahere: nunquam  
tamen ipse voluit videri deliberationibus interessere ut ci-  
vis aliquis reipublicæ, nunquam etiam hoc nomine vel  
vocatus fuit vel admissus, sed quomodo in omnia alia re-  
gna & omnes orbis Christiani respuplicas summâ impie-  
tate dominatum sibi arrogavit & sumpsit, tanquam supre-  
mus monarcha à Deo constitutus, ita & hoc nomine rei-  
publ. Germanicæ negotia voluit gubernare, sæpe invitis,  
nonnunquam & consentientibus regni ordinibus fatali-  
tum errore constrictis. Si Germanico verò regno & Ita-  
lico mansit summum jus administrandi rempubl. suam  
sine populi Romani consensu, non in unam profectò  
rempublicam hæc cojerunt. Quotenim sunt summa po-  
testates; totidem sunt respuplicæ, ut ut unum habeant prin-  
cipem aut atq[ue] aliquo fœdere *ouμαχίας*, civitates illæ sint

unitæ. Quale quid de civitatibus Helveticis Iosias Semlerus & Bodinus, de foederatis Belgico Germanicis provincijs optimè Hugo Grotius in *apologetico suo cap. 1.* annotarunt. Cæterum non convenisse omnia illa in unam rem publicam, manifestum fit etiam diversis illis coronationibus Regum nostrorum. Corona enim indicium est & signum quodammodo reipubl. Seorsim verò primo accipitur corona regni Germanici, ex antiqua quidem consuetudine, ut & lege Carolinâ, Aquisgrani. Perperam enim vulgo creditur, & nuncupatur illa corona Cæsarea. Veteres sanè reges, (inter quos est & Fridericus I. Cæsar *epistola ad Ottoneum Frisingensem*) dixerunt illam coronam regni Teutonici. At Cæsaream Coronam semper & quidem jam per annos octingentos solus Papa Romanus addidit. Quin & multi post Ottонem Papæ quoque coronati sunt Reges Langobardorum, adeoque triplici corona, Germaniæ nempe, Langobardiæ & Imperij Romani insigniti. Accedit, quod nunquam quisquam post Carolum Magnum Cæsareum voluerit titulum usurpare ante acceptam coronam illam Romanam, et si jam esset coronâ Germanici regni honoratus: omnes enim ante sunt tantum Reges dicti, etiam nunc non nisi Electi Cæsares audiunt, licet coronati sint Germaniæ aut Italiæ reges. Adhoc, satis hodieque distinguunt ipsi Cæsares regnum Germanicum ab Imperio Romano, dum electos se dicunt Imperatores Romanos, sed addito titulo Regum Germaniæ, quod nempe aliud sit esse Regem Germaniæ aliud electum Cæsarem Romani Imperij.

XLI. Igitur unam profectò cum Imperio Romano rem publ. neque Germania hodie neque Langobardicum regnum constituit. Tantùm verò abest, Germaniam sese & Langobardiam à sese domitam, Romano Imperio subjecisse,

jecisse, ut contrà potius illud olim Germaniæ sese dederit  
magnâ ex parte. Omnem enim Imperatores eligendi po-  
testatem Romani eorumq; Pontifices in Germanos æternâ  
lege contulerunt; quo ipso jus Germanis dederunt suum  
magistratum Romano Imperio creandi: quod est magnam  
majestatis partem alteri tribuere, sibi eripere. Id quando  
cooperit alias exponitur. Id certum verò est, moderatis ad-  
huc Paparum rebus, & ante monstrum illud hominis Hil-  
debrandum aut Gregorium VII. Papam, magnam satis fu-  
isse Cæsarum à Germanis electorum in pontificem & popu-  
lum Romanum auctoritatem ac potentiam: & nihilominus  
tamen in Germanorum suisse potestate, eam omnem di-  
gnitatem ac vim electis ex suo arbitrio Regibus suis in alie-  
nam rem publicam conferre. Quin manet hodieque, ut non  
nisi Germanorum Rex audiat Cæsar, priscâ auctoritate li-  
cet adempta. Quo patet, quasi surrogasse sibi potius Ro-  
manum populum in sua jura Germaniam quam ut Germa-  
nia sese illi Imperio subjecerit.

XLII. Hæc verò omnia quum longè sint certissima,  
nihil est quur non apertè tandem pronunciemus; neque  
Germaniam neg, Langobardicum Italæ regnum verè partes esse  
Romani Imperij, sed Respublicas ab illo distinctas, adeoque nec Im-  
peratorem, in quantum est Imperator, esse vel Germanici vel Lan-  
gobardici regni caput aut magistratum, sed quatenus idem simul  
rex est. Nec verò ex illo quod jam multis seculis vulgo  
Germania quoque & Italia illa Langobardica Imperij Ro-  
mani nomine audiat, sequius quid est colligere. Familia-  
re enim est & receptum, si multæ res publicæ coeant in u-  
num fœdus ab una aliqua illarum, omnibus commune  
nomen indere. Ita olim Achæorum res publica omnibus  
fœderatis nomen dedit, & Vrbs Romana omnibus socijs:  
hodie fœderati omnes Helvetij ab uno pago Suiceri, fœde-

ratæ item omnes Belgico Germaniæ provinciæ vulgo Hol-  
landiæ nomine usurpantur. Eadem verò ratione & Imperij  
Romani nomen sociis rebus publicis esse inditum, vel hæc  
verba indicaverint Gotfridi Viterbiensis. Hic cum narras-  
set, Lotharium Imperatorem regni sui tres in partes divisi  
partem unam, Italiam scilicet, cum Imperatorio nomine,  
majori natu filio tribuisse, addit: *vide ad quantum defectum*  
*Romanum Imperium devenerit*, ut in tres partes diviso regno  
Francorum, tertia partis tertiam pars esset Imperium. Apud alios  
scriptores tempore Caroli Calvi Gallia Imperij nomine  
intelligitur, exclusâ Germaniâ. Otto Frisingensis, cum e-  
gisset de divisione regni Francici inter filios Ludovici Pij  
instituta, ita loquitur. l. 5. c. 35. Ex hinc diviso regno, regna mo-  
dò duo orientale & occidentale (quorum alterum (Orientale) par-  
tem Ludovici & Lotharij sedemque regni Francorum Palatum  
Aquisgrani ac Imperium urbis Romæ habet: aliud verò (Occi-  
dentale) quod adhuc Francorum, eò quod istud Romanorum voca-  
tur, appellatum, partem Caroli tenet) inveniuntur. Vnde perspi-  
cere est jam ætate Friderici Barbarossæ Germanicum &  
Langobardicum regnum vocatum vulgo regnum Roma-  
norum, ita tamen, ut non lateret distinctio inter illa regna  
& Imperium Urbis Romæ.

XLIII. Igitur ex illo nomine Romani Imperij haud  
quidem licet colligere Langobardicum & Germanicum  
regnum, pertinere reapse ad Imperium Romanum. Ne-  
glexerunt autem diu & ipsi Reges Germanici Imperato-  
rio titulo regnum Germaniæ & Italiae memoriam adji-  
cere, fortè quod mos seculi non ferret cumulum titulo-  
rum, nomen autem Cæsareum ea ætate, adeo haberetur  
magnificum, ut adiicere quidquam videretur indecens.  
Constat sanè, eos nec adjecisse titulos Ducatum & Co-  
mitatum, quos tamen unâ cum Regia & Imperatoria di-  
gnita-

gnitate possidebant. Primus quantum videtur, Fridericus II. præter Cæsareum nomen Siciliæ & Hierosolymæ titulum usurpavit, Svevici tamen ducatus titulus non adjecto. Eum imitatus centum & quinquaginta ferè annis post Carolus IV & Romanorum Imperator semper Augustus & Bohemiæ Rex voluit dici. Ejus filius Sigismundus & Imperator & Hungariæ & Bohemiæ rex audivit. Fridericus III. non multò post adjecit plurima propter Ducatus comitatus & alias provincias sibi subditas, Germanici licet Imperij feuda essent. Qui mos ab eo usque tempore invaluit. Maximilianus porrò & Germaniæ Rex voluit dici: non tantum optimo jure sed & utilissimo instituto. Secuti autem Maximilianum ea in re sunt Carolus V & omnes quotquot in hunc diem ab eâ ætate Germaniæ præfuerunt. Posset autem eodem jure & Italici, (imò, ut alibi ostenditur, & Burgundiæ aut Arelatensis) regni, titulus usurpari: quantum ex superioribus est manifestum. Nec verò id ipsum non esset magno cum reipublicæ bono conjunctum: quo unicuvis possit eò rectius constare tota reipubl. natura. Certè interest rerum publicarum ad tuenda jura singulatum, ut etiamsi unum principem acceperint, nomina pri-  
sca ne oblitterentur.

XLIV. Quin igitur quasi ratum esto ac constitutum: *Germanicum & Italicum regnum distinctas esse respublicas ab eo quod verè Imperium Romanum est dicendum, nec Imperatorem in quantum est Imperator vel Germaniam regere vel Langobardicum regnum.* Hinc verò sequitur gravissimè illos hallucinari, qui Germaniam censem teneri legibus Iustinianis, aut Imperatori in Germaniam arrogant potestatem priscorum Cæsarum in Imperium Romanum, eo nomine quod Germania sit verè Imperium Romanum & Imperator quatenus est Imperator, Germaniæ præsit. V-  
trum-

trumque sane esse longè falsissimum jam ostensum est. Non  
atttingam enim nunc quām imbecillis sit illa collectio, et-  
iamsi utrumq; verum esset quod sumunt.

XLV. Non minus verò hinc liquet, quam iniquè Pa-  
pæ Romani Imperij nomine abusi rebus Germaniæ se scim-  
miscuerint, easque perturbarint aliquot ante seculis, quam-  
vè iniquè adeò pridem Paulus IV voluerit suas in manus re-  
signari Romanum Imperium, Gregorius verò xv. electo-  
ralem dignitatem Bavarо collocatam confirmare. Habuit  
enim olim quidem Papa Romanus, unà cum alijs civibus  
Romanis, eligendi Cæsarem potestatem, & verò elegit ille  
& Carolum Magnum & post Ottонem Magnum: sed in elec-  
tionem regis Germaniæ nihil unquam habuit juris, jam  
Ottонum verò tempore etiam Cæsarum electionem, in  
liberum Germaniæ procerum arbitrium transtulit. Qua  
de re alibi. Certè ut hodie etiam aliquid juris sit Papæ in  
electionem Cæsaris (quod tamen est falsum,) eo tamen  
nomine non debuit ille sui juris quoque facere electio-  
nem regis Germaniæ & Italiae.

XLVI. Porro & hoc consentaneum est: si jure po-  
testas Cæsarem creandi possit Germaniæ adimi, aut illa  
nollet aliquem creare, eo ipso tamen non amittere illam  
facultatem creandi regis Germanici, & Italici regni. Ita,  
si licuisset Alexandro III. Papæ Imperij occidentalis digni-  
tatem in Constantinopolitanos iterum transferre, quod  
rogasse Emmanuel Cæsarem scribit Blondus *l.s. decad.*  
*2.* & Platina *in vita Alexandri III.* aut vero si Bonifacius IX  
jure potuisset promissis stare (pollicitus autem erat se Impe-  
rio dignitatem in Gallos translaturum) non tamen ea pro-  
pter jure potuisset Germaniæ & Italiae res publica ab ijs in  
alios transferri.

XLVII. Denique & hoc sequitur, non esse, quur  
non.

nonnulli adçò pertendant Imperij Romani dignitatem non esse à Romano Papa collaram, vel Carolo Magno vel Ottone, eo quod uterque jam ante coronationem Germaniam ac Italiam possederit. Non enim est difficile probatu factum id omnino esse à Papa & populo Romano; sed quod collatum fuit, id verò si cum Germania & Italia Langobardica contendas penè est nihil. Certè non est quur hac de causa sese jactitent Romani Pontifices, quasi sc. magno beneficio Germaniam affecerint; utpotè, quum, si rem videoas, potius opinione collatio illa insigne quid habet, quam recipere. Verùm de toto hoc negotio non est hujus loci latius agitare.

XLIIX. Cæterum quum nec Germania, nec Italia Langobardica subsit hodiè Imperatori, ut ille est Romanus Cæsar, ergo aut reliquum omne Italiæ illi isthoc nomine pareret, aut aliquid ejus, aut vero nihil. Ostensum autem est supra, quum Carolus Magnus Imperij rerum est potius tum ex pacto Calabriam inferiorem mansisse, in ditione Imperij Orientalis. Venetorum quoque urbem ijsdem redditam, reliquum autem omne, utut pareret Pontifici, in Caroli ut Imperatoris supremam protestatam pervenisse. Fuit autem & Ottonis eadem prope conditio. Namque & tum nihil reliquum relictum est Orientali Imperio præter Calabriam. Venetorum vero urbs itidem mansit libera. Cætera vero omnia Imperij veteris in Italiâ, tametsi essent in Pontificis manu una tamen cum ipso Pontifice in Ottonis ut Cæsar imperium pervenerunt. Luitprandus sive aliis quis autor eorum, quæ à capite sexto sunt assuta l. 6. Luitprandi scribit Ottonem ab Iohanne Papa unctionem suscepisse Imperij addens: *jusjurandum vero ab eodem Papâ Ioanne supra pretiosissimum corpus petri atque ab omnibus civitatis pro-*

E scri-

ceribus, se nunquam Berengario, atque Alberto auxiliacuros,  
acepit. Otto Imperator c. 10. conqueritur Ioannem Pa-  
pam esse, immemorem juramenti & fidelitatis quam sibi supra  
corpus S. Petri promiserit. Vnde claret Papam fidelitatem  
jurasse Imperatori Ottoni, quæ vox quam habeat vim, ex  
more ejus ævi notum est. In diplomate Ottonis illius  
Ioanni Pontifici dato, de bonis Episcopatus Romani apud  
Baronium ad annum 962. disertè bona illa omnia donan-  
tur, sed hac conditione: *Salvâ in omnibus potestate nostrâ &*  
*filiij nostri, posterorumque nostrorum.* Item ne quis Pontifex  
impostorum consecraretur (verba Cæsaris sunt) priusquam  
talem in praesentiâ Missorum nostrorum, vel filij nostri seu uni-  
versæ generalitatis faciat, promissionem per omnium satisfacti-  
one atque futura conservatione, qualem Dominus & venerandus  
spiritualis pater noster Leo sponte fecisse dignoscetur. Atqui  
Leo illi Carolo Magno subjecit sese, pro ut olim Cæsari-  
bus fuere subjecti Papæ, coque Carolum statim adoravit:  
quod jam supra est dictum. In eodem porrò diplomate  
notandum illud est, conventum tum esse, ut quotannis  
per Legatos Cæsari nuncietur; qualem singuli Duces ac Iu-  
dices populo justitiam faciant. Si enim secius quid fiat, quam  
oportet, tum vero Imperatorem per legatos suos id emen-  
daturum.

XLIX. Ex quibus profectò liquet, statim illo anno  
962. Ottонem unâ cum Cæsareo titulo jura veterum Cæ-  
sarum in Papam ipsum accepisse. Et verò eo iure usus  
est contra Ioannem illum Papam statim sequente anno.  
Quo tempore de novo cives Romani fidelitatem promi-  
serunt, hæc addentes, (verba sunt Luitprandi l.cit.) & firmi-  
ver jurantes nunquam se Papam electuros & ordinaturos præter  
consensum atque electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæsa-  
ris Augusti filijque ipsius Regis Ottonis. Rogavit autem tum  
Syno-

Synodus Episcoporum ab Ottone congregata, ut & Ioannem Papam exuere honore, & alium in ejus locum eligi pateretur. Utrumque autem effectum est. Eadem vero Ottoni Romani cives perjuri 964. & tertia vice fidelitatem jurarunt, ut post Reginonem narrat Baronius. Quo anno iterum Cæsareâ auctoritate usus Otto in exilium relegavit Benedictum, quem Romani cives crearant Pontificem. Eadem porro Ottoni, omnibusque ejus successoribus Leo Papa præter illa jam dicta concessit *in perpetuum* facultatem eligendi successorem, (in Imperio scilicet) atque summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc Archiepiscopos seu episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiatur. Habentur omnia hæc verba ex bulla quâdam Leonis deprompta, apud ipsum Gratianum *dist. 63. cap. 23.* Existat quoque apud Crancium *metropol. l. 4. cap. 10.* Ejusdem Leonis alia bulla, qua omnia quæ Pipinus aut Carolus Magnus donaverant Romanæ Ecclesiæ, Ottoni ejusque successoribus redduntur. Impugnat verò acriter utriusque fidem Baronius ad annum 964. Quicquid verò sit de illis bullis, id certum est, Leone mortuo, jus illud elegendi ex arbitrio, pontificem non latuisse Romanos. Continuator Reginonis ad annum 965, ita notat : *Eodem anno dominus Papa Leo obiit. Tunc legati Romanorum Imperatorum pro instituendo quem vellent Romano Pontifice, in Saxonia adeentes honorifice suscipiuntur & remittuntur. Et Otagarus Spirensis Episcopus & Luitprandus Cremonensis cum iisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Ioannes eligitur.* Imò ex eo usque tempore, omnes Pontifices Romani aliquique Archiepiscopi pariter & Episcopi pedum Episcopale ab Imperatoribus acceperunt, donec rem omnem turbaret Gregorius VII, id quod alibi ostenditur.

L. Quin itaque Otto Magnus verè Cæsaream ob-  
tinuerit in Pontificem populumque Romanum potesta-  
tem, non est dubitandum. Potest autem de successori-  
bus ejusdem ad Henricum IV. usque, idem haud diffi-  
cile ostendi, si opus foret. Verum id operosè agere fuc-  
rit fortè soli faciem fœnerari. De Ottone III. tamen quæ  
dicit Glaber Rodulphus non possumus prætermittere.  
*Contigit*, ait, *initio Imperij Ottonis*, ut sedes Apostolica urbis  
Romæ proprio viduaretur Pontifice (is erat Iohannes XV) ipse  
vero illico Imperiali usus præcepit quenquam suum consanguineo-  
rum (Brunonem post dictum Gregorium V) elegit, atque  
ex more in sede Apostolica sublimari mandavit. Quum  
verò eodem tempore Crescentius consul tyrannidem ur-  
bis sibi sumpsisset, aliumque, Pontificem instituisset, nar-  
rat idem atque ex eo Baronius ad annum 996. Ottонem &  
urbem occupasse & Crescentium curasse præcipitari, Papæ  
autem à Crescentio electo & manus amputatas & aures  
abscissas & oculos erutos. Idem ille Otto Sylvestrum II.  
Papam instituit fatente Baronio anno 999. Idem Otto  
Sylvestro Papæ octo urbes Marchiæ Anconitanæ donavit.  
Refert illud Theodoricus de Niem *I. de privileg. & jurib.*  
*Imper.* Ipsum vero donationis diploma edidit primus  
Marquardus Freherus & insigni commentario illustravit,  
post illum à Baronio, id *tomo 12. Annal. ad ann. 1191.* est in-  
sertum. Liquet verò inde, eo tempore magnum illud  
quod appellatur Petri patrimonium non in Pontificis sed  
Imperatoris fuisse manibus, fortè quod Leo omne illud  
Ottoni magno iterum concessisset. In illis autem literis  
notatu etiam hoc occurrit dignum, quod Romam appel-  
let Cæsar suam urbem regiam. Hujus porro Ottonis ad huc  
pueri mater Theophane per triennium ipsa Romæ vixit  
& rempublicam filij sui in usum tenuit. Quomodo anno

1033.



1033. Conradus II. integrum annum Romæ commoratus  
rebelles compescuit.

L.I. Quamquam verò hæc vera Cæsarea potestas  
integra manserit ad Henricum usque Quartum (cujus  
pater Henricus III. adeò jure suo est usus, ut non dubita-  
verit Baronius anno 1046. illum hoc nomine nescio cu-  
jus Hæresios Henricianæ auctorem proclaimare, imò quan-  
quam ipse Gregorius VII. Papa confirmari voluerit per  
Henricum IV. primus tamen ille inaudito haecenüs scele-  
re non tantum exuere Cæsarem omni dignitate est ausus,  
sed & sumere sibi potestatem in Imperatorem, reges, prin-  
cipes. Presserunt autem ejusdem vestigia omnes secuti  
Pontifices. Quanquam vero strenuè jura sua antiqua tuc-  
ri ac servare studuerint cum ipse Henricus IV. tūm ejus fi-  
lius Henricus V. nec non Fridericus primus & secundus,  
tandem tamen post obitum scil. Friderici II. impietas Pa-  
parum victoriam expressit. Igitur jam quidem annos pro-  
pè quadringentos, neque in Papam, neque in urbem Ro-  
mam neque in illas antiqui imperij reliquias provincias  
Cæsarea vetus potentia fuit exercita. Superstes tantum  
mansit Imperatorium nomen, & quidem, si verum est di-  
cendum, inane atque procul re ipsa. Quod jam olim, re-  
ctè intellexit fortissimus Germanorum Cæsarum Fride-  
ricus primus, coque; cum Adrianus IV. Papa anno 1159. in-  
ter alia à Friderico posceret; nuncios ad urbem ignorante Apo-  
stolico ab Imperatore non esse mittendos; cum omnis magistratus  
inibi S. Petri sit cum universis Regalibus: statim respondit:  
cum divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & sim,  
speciem tantum dominantis effingo, & inane ubique porto no-  
men ac sine re; si urbis Roma de manu nostra potestas fuerit ex-  
cussa;

LII. Non disputabo nunc an quadringentorum annorum possessione id quod initio per vim & scelera perpetrunt sibi pontifices nunc verè suum fecerint, præsertim cum tanto temporis spatio pauci Cæsares id ipsum videantur in controversiam vocasse: id certum videtur, si tot annorum præscriptione perierint nostris regibus & Cæsaribus, omnia vera illa & antiqua Cæsarum jura, non esse amplius quur vanè jaçtent nonnulli nescio quod orbis aut urbis Romæ dominium, multo minus nunc esse magnis sumptibus & ingenti periculo in Italiam proficiscendum Cæsaribus electis, quo a Romano Pontifice Cæsaream coronam consequantur. Quin imò haud obscurè hinc est desplicere, cum Orientale Imperium Romanorum per Turcam pridem sit destrutum, nec occidentalis quidquam penè supersit apud Cæsares, præter nomen Imperatorium, haud injuria fortassis posse affirmari, vel Imperium Romanum funditus periisse, vel verò Papam Romanum reapse frui nunc potestate Imperatoria, si demas licentiam titulum illum usurpandi, aut in alium conferendi.

LIII. Cæterum his quæ ultimò attulimus nonnulla posse obijci videntur. Primò enim sacris literis videtur prædictum, non interitum Romanum Imperium ante ultimum diem. Ex legibus quoque justinianeis constat Imperatorem dominum esse orbis; Certum verò est nostro, Cæsares Iustiniani esse successores, itaque & nostris illis in orbem quoque universum eadem hodie jura sunt. Postremo si Cæsares hodie reapse, non nisi Imperatorium titulum habent, haud videtur eorum esse aliqua præ alijs Regibus dignitas ac prærogativa.

LIV. Verum enim vero, quod primo quidem loco addu-

adducitur, promitti in sacris literis Imperij Romani æternitatem, id temere probari non potest. Quomodo totum illud, de non nisi quatuor magnis futuris monarchijs seu Imperijs mundi, plus habet famæ quam veri. Quippe quum olim in Asia jam ante Alexandrum tot numero fluerint amplissima imperia, Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum, non autem duo tantum quod vulgo creditur, Asia eadem post Romani imperij interitum itidem habuerit, hodieque ex parte habeat vastissima regna Sarracenorum, Turcarum, Tartarorum, Persarum & Sinensium. Europa vero viderit Francorum regnum maximum jam ante adeptum Cæsareum nomen, etiam nunc vero floreant vasta Hispanorum potentia & Gallorum. Nec vero reperitur quid in sacris literis, quod ad perpetuitatem Romani Imperij jure debeat trahi: sive enim somnium Nabuchodonosaris videoas; sive ipsius Danielis quod est c. 7. omnia illa vix attingunt Cæsarea tempora, ut optimè observant eruditiores, quod tamen hic disputare alienum est. Quid, quod Apostolicæ literæ excidium non Romani Imperij tantum, sed & ipsius urbis haud paulo ante finem mundi futurum videantur prædicere. Antichristi certè tempora exceptura demum interitum Romani Imperij, communis omnium primæ ætatis Christianorum fuit sententia. De ipsius autem urbis Romæ extremo excidio accipienda videntur omnino illa quæ c. 18. Apocalyps. leguntur.

LV. Ad secundum respondemus. Eo argumenti genere usos quidem per quam multos, à Lotharij Cæsarialis usque temporibus ad nostram hanc ætatem, eos qui Romani juris doctrinam professi sunt; quorum nonnullis penè persuasum est omnia omnino illa competere hodieq;

Cæsari-

Cæsatibus nostris quæ olim Justiniano imò Augusto imperatori convenerunt. Verum hæc quidem doctrina apta est concitandis bellis, movendis tumultibus, evertendæ reipublicæ. Si enim omnia ad illam faciem Augustæ invi sunt componenda, non hæc tantum nostra Germania sed penè totus orbis erit commovendus. Est autem tota illa colligendi ratio frivola, ne quid dicam gravius. Nulla certè illi vis inest, nisi pro confesso & certo sumas: populum Cæsaremque Romanum nihil potuisse jure amittere, aut verò omne quod in corpore illo legum Romanarum reperitur id ex jure naturæ venire, adeoque æternæ esse veritatis. Quæ omnia longè sunt falsissima. Sanè cum jura illa plætraque valeant ex constituto, sintque positiva, uniuscujusque est liberæ recipi. ea hactenus vel reijsere vel admittere: eoque nec rerumpi. controversialæ rectè ex illis possunt decidi, ut optimè post Ferdinandum Vasquium observavit summus vir Hugo Grot. *præf. ad libr. de jure belli ac pac.* Stultum vero est, omnem, qui in nomen aut aliquo modo succedit in locum, cundem etiam in iura quæ ante aliquot centum aut mille annos obtinuerunt, succedere. Non minus sane hoc inceptum est quam illud nonnullorum commentum Carolo V. Ius fuisse ad occupandos Americanos, cò quod esset Imperator adeoque Dominus orbis: quos perdoctè confutavit Franciscus Victoria *relect. de Indis.* & Ferd. Vasqui *in questionib. illust.* Benè verò est quod qui sese olim Cæsarianarum partium propugnatoribus illis opposuerint, ac Pontificem sumpserint sibi extollendum *super omne quod dicitur Deus* non minus perperam sese gesserint, nihil aliud sc. adferentes, quam ipsorum pontificum arrogantisima dicta, adeoque testimonium glorioissimorum & super-

superbissimorum nebularum in propria causa.

LVI. Tertij ultimique argumenti rei cienda est sequela. Enimvero non est Cæsari nostro quidquam potestatis in liberas res publicas, sed ratione *autonomia* etiam parva res publica libera, qualis est Rhenusina ex. gr. non minus sua habet plena majestatis jura, quam aliqua magna: dignitas vero omnis non ex illis majestatis juribus tantum est estimanda, sed & alia multa sunt quæ jubent etiam inter pares ordinem aliquem servandum. Certum vero est Carolum Magnum cum Francis quoquo versum Imperium suum extendisse, in Germaniam scilicet & Galliam & Italiam & magnam Hispaniæ partem, fuisse autem illos omnes natione & lingua Germanos, adeoque cum certè præcipuam Europæ vim penes Germanos fuisse. Certum vero & hoc est: à tempore Ortonis Magni non tantum Cæsareo nomine, sed & amplitudine Imperij Germanicum regnum per complura secula longè antecelluisse, Hispaniam, Galliam, Britaniam, Daniam, Sveciam, Polonię, Vngariam: utpote quæ comprehendenderet omnem Germaniam, Galliæ magnam partem usque ad Rhodanum, regnum Arclatense, & Italiam universam. Denique certum est ab annis septingentis nullam rem publ. non ultrò semper Germaniæ ejusque Regibus aut Cæsaribus primum locum concessisse. Itaque quum dignitas hæc & *regia* non tam à Cæsareo titulo, quam ab ipsa amplitudine Imperij veniat, & vero Germanicum regnum in quieta ejus honoris possessione haec tenus fuit, manifestum est, etiam si tollas omne Cæsareum nomen, jus tamen suum Germanico regno permansurum integrum.

tom. IV

F

Corol.

# Corollaria.

## I.

Imperator etiam in quantum est Rex Germanorum primarius est princeps Christiani orbis.

## II.

Regnum Germaniae semper fuit electitium, et si usque ad tempora Henrici IV. semper ex parte habuerit aliquid hereditarij.

## III.

Regnum Germaniae merè electitum fuit redditum, occasione tumultum contra Henricum IV. excitatorum.

## IV.

Prior modus constituendi regem qui aliquid admistum habet hereditarij, Germaniae rebus est convenientior altero illo pure electitio.

## V.

Regnum & Imperium non in Papæ sed in Electorum manus recte Carolus V. resignavit.

## VI. Non

**VI.**

**Non est jure naturæ vetitum usuram  
caperē.**

**VII.**

**Neque jus naturæ obstat quo minus ma-  
gna Oceani pars in privatam possit redigi  
possessionem.**



AKT II 1530

Non est late natus acerbus invictus

cabell.

ALL

Nec quis usum opere quo potius  
poteat occidit nisi in pueris possit credidi  
poterit.



1002

111



B. h. II, 49  
h. 7, 2.


IMP  
R O

Viri Clar  
HERM  
Philosoph.  
Iulia Acad  
ris ad

BOGIS

IN

Typis



RE  
R.

simi  
NGII  
illustri  
Fauto-  
r.

oym

I.

R I.

16

18

